

Leander.

lari Ecclesiam, & ad hoc multos Doctores citat Leander de Sacramen. tom. 2. tract. 9. disp. 25. quest. 3. Tota controversia est, an seculo diurna mora, & seculo periculo incontinentie licita sit talis copula, ut est licita in omnibus alijs casibus extra locum sacrum. Sententiam affirmativam, talem copulam conjugalem sine necessitate in loco sacro esse mortale, & per eam violari Ecclesiam, tenent multi Doctores, quos in magno numero citat, ac sequitur Sanchez lib. 9. de matrim. disputatio- ne 15. num. 8.

14. Hurtado.

Opposita sententia; quod talis copula sit licita, & non polluat Ecclesiam, tenet Hurtado de matrim. disp. 10. diff. 4. num. 16. Basilus Pontius lib. 10. cap. 10. num. 13. Fr. Martin, à S. Joseph, in Mon. Confessor tom. 1. lib. 1. tract. 50. de matrim. n. 1. Dicastillus de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 5. num. 57. Martin. Perez de matrim. disp. 49. sect. 4. num. 57. Diana part. 11. tr. 8. Miscol. 1. Resol. 34. Nam talis copula nullo jure est prohibita, non divino, nec naturali nec Canonico; nam Textus unicus adducitur ex cap. finali de consecrat. Ecclesia, ubi dicitur, quod Ecclesia est polluta semine, aut sanguinis effusione; ubi Textus æqualiter loquitur de sanguinis effusione, ac seminis, sed sanguinis effusio, verbi gratia, ob propriam defensionem est licita & non violat Ecclesiam; ergo etiam licita copula, ut pote conjugalis, Nam illa copula secundum se est licita, & conjuges sunt in mutua possessione ad debitum; ergo ab illa non sunt spoliandi, nisi per Textum expressum, qui non datur.

15. Imò facis communis est sententia quod solum illa effusio seminis ex se illicita, quæ est cum peccato mortali, polluit Ecclesiam, imò nec ipsa effusio seminis peccaminosa, violat Ecclesiam, nisi sit publica, & manifesta, de quo dicam, quest. sequenti.

16. Quartus casus est, Quando in Ecclesia sepultus est aliquis excommunicatus vitandus, & consuluisti, de consecratione Ecclesie, quando scilicet talis excommunicatus est, sive sit publicè denunciatus, sive notorius percussor clerici, non si sit tantum nominatim interdictus, ut notat Layman, lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 8. ex quo bene colligit Cardinalis Lugo de Eucharistia disp. 20. sect. 2. n. 56. Ecclesiam non pollui apud septentrionales per sepulturam hæreticorum, cum non sint nominatim denunciati.

Lugo. Pellizar.

Quintus casus est, quando in Ecclesia sepelitur aliquis infidelis, vel non baptizatus, cap. Ecclesiam 1. & 2. disp. 1. de consecrat. Sub quo venit intelligendus infans non baptizatus, etiam fidelium filius, si seorsim à matre sepeliatur: non ita verò si in utero matris gravide jam mortuus sepeliatur, ita notat Cardinalis Lugo citatus n. 57. & ex eo Pellizar, tom. 2. tract. 8. c. 5. sect. 2. num. 72. §. Nota 11. Ecclesiam non pollui per sepulturam hæretici baptizati.

18. Sextus casus, additur ab aliquibus, quando nempe Ecclesia per Episcopum publicè excommunicatum est consecrata, vel benedicta. Argumento deducto ex e. Consuluisti, de consecrat. sed ut bene notat Lezana tom. 3. verb. Ecclesia, n. 12. non apparet, unde illud ex citato cap. colligatur, quia solum ibi est sermo

Lezana.

de Ecclesia, in qua excommunicatus est sepultus, ut etiam advertit Layman citatus n. 9.

QUESTIO III.

Quanam partes sub nomine Ecclesie intelliguntur, ut inde ipsa involuta intelligatur.

SUMMARIUM.

- 19. Nomine Ecclesia venit totum corpus illius cum sepulturis, & capellis.
- 20. Si effusio sanguinis fiat in tecto, in turri, sacristia, tribunis, non polluitur Ecclesia.
- 21. Si in caveis subius Ecclesiam, non polluitur Ecclesia.
- 22. Idem dicendum de confessionariis, si dividantur pariete.
- 23. Si fiat effusio in choro vel tribuna organorum, polluitur Ecclesia.
- 24. Si in Cæmeterio, vel claustris, hæc sunt polluta, non verò Ecclesia.
- 25. Si homicidium contingat in gradibus, vel portaria, Ecclesia non polluitur.

PER Ecclesiam intelligimus totum illius corpus interius; à tecto nempe interiori usque ad parvimentum illius inclusis sepulturis, ut statim dicam, & ab uno pariete usque ad alterum oppositum, inclusis etiam capellis, quæ unum corpus efficiunt cum ipsa Ecclesia, ut cum communi sententia tenet Veiga in summa tom. 2. c. 94. casu 5. & à porta Ecclesie interiori usque ad ipsum altare, unde notat Castro Palaus tract. 22. disp. unio. punct. 9. n. 9. Polluto altari per effusionem sanguinis polluitur etiam Ecclesia, & contra polluta Ecclesia, polluta sunt omnia altaria ibi fixa.

Ex his colliges primò quod si talis effusio fiat in tecto superiori, vel in turri ubi cymbala collocantur; vel etiam in domo, vel cubiculo, supra tectum fabricato non polluitur Ecclesia, ut cum multis tenet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 26. Deinde si in parietibus sint aliquæ januæ, seu tribunæ, adificata ad sacrum audiendum, ex ipsa effusione ibi facta non polluitur Ecclesia, quia non deputantur ad divina celebranda, sed sunt tanquam Camerae adhaerentes Ecclesie. Ita cum multis Fagundez de 2. præcepto lib. 4. c. 4. n. 5. & Martinus Perez de matrim. disput. 49. sect. 4. num. 7. Diana part. 11. tract. 8. Miscol. 1. num. 34. & idem dicunt de sacristia. Tamen si tribunæ sunt supereminentes intra corpus Ecclesie ex ipsis polluitur Ecclesia, ut notat Castro Palaus.

Colliges secundò: Si polluantur speluncae aut cellulae, quæ sunt subter Ecclesiam, non polluitur Ecclesia, quia sunt partes distinctæ ab ipsa Ecclesia, Suar. de Eucharist. disput. 81. sect. 4. Fagundez citatus, num. 3. Aliter tamen dicendum de sepultura, seu pars concava, seu fornix illius polluitur, quia sepultura pars illius reputatur, ut advertit Sanchez citatus, num. 27. in fine.

Colliges tertio: Quod idem dicendum est de cellulis ad mulierum confessiones audien- das

19.

Veiga

Palaus.

20.

Sanchez

Fagundez.

Perez.

Diana.

21.

Suar.

Fagundez.

Sanch.

22.

das, si sint in Ecclesia, ut intra concavum parietis à parte interna Ecclesie Sanchez citatus, num. 34. & Fagundez num. 35. Qui etiam advertunt, quod si confessionarium dividatur pariete, & solum per foramina in fenestella, vel Panno cerrato fixo, & confessor est extra parietem, est etiam extra Ecclesiam, ac proinde ex parte illius non polluitur Ecclesia, secus dicendum, si tale fiat ex parte mulieris, cum sit intra Ecclesiam.

23.

Colliges quartò: Quod chorus quamvis sit in loco edito, & à terra prominente, sicut & tribuna, seu locus organorum, maxime spectant ad Ecclesiam, cum illorum cantus ac sonus sit pars cultus divini, ac proinde ex illis polluitur Ecclesia, ita ex D. Antonio Sanchez citatus num. 33. Et inde etiam Camera instar odæi ex adverso aræ maxime ad missam audiendam constructæ, cum non sint deputata ad divina celebranda, non sunt partes Ecclesie, ac proinde illis pollutis non polluitur Ecclesia.

Fr. Anton. Sanchez.

24.

Colliges quintò: Quod si talis actus polluens Ecclesiam contingat in porta à parte interiori, tunc polluit Ecclesiam, si verò à parte exteriori, tunc cum illa pars pertineat ad Cæmeterium tunc solum Cæmeterium violatur, polluto enim Cæmeterio, non polluitur Ecclesia cum minus nobile non trahat ad se nobilitas; sicut è contra polluta Ecclesia, polluto censetur Cæmeterium, cum accessorium sequatur principale, & nobilitas ad se trahat minus nobile, ut ex Sayro, Henriquez, Snario, Coninch, tradit Bonac. de matrim. disp. unica, quest. 2. punct. ultimo, n. 20. Quod idem dicendum existimo de claustris, quod reputatur tanquam Cæmeterium ad sepulturas.

25.

Si verò queratur quid dicendum sit de gradibus tendentibus ad Ecclesiam, vel Cæmeterium, si in eis homicidium, v.g. fieri contingat, existimo quod nec Ecclesia nec Cæmeterium polluitur, quia sunt à parte exteriori & tanquam via ad Ecclesiam. Et idem dic de portaria Convèntus, in qua facta quodam homicidio, ita consultum fiat, quia portaria nec est Ecclesia, vel Cæmeterium;

QUESTIO IV.

Quæ notorietas, seu publicatio requiratur, ut ex illis casibus Ecclesia habeatur ut polluta?

SUMMARIUM.

- 26. Ecclesia iudicatur polluta per delictum publicum.
- 27. Quod ad hoc sufficit notorietas facti, affirmat prima sententia.
- 28. Opposita requirit sententiam iudicis.
- 29. Prima communis in praxi, secunda probabilior in iure, & bene potest tunc sequi in conscientia.

26.

Lugo. Castro Pal. n. 55. & Castro Palaus part. 2. tract. 11. de

reverentia debita locis, disp. unica punct. 1. n. 2. Quod prædictæ actiones, ut Ecclesia sit polluta, non sufficiunt, quod sint occultæ, sed requiritur, quod sint publicæ, & notoriæ, ut colligitur ex cap. Significasti de adulterio. Et ratio est manifesta, quia consecratio, seu benedictio Ecclesie est publica; ergo publico delicto debet tolli.

27.

Difficultas tamen est, ut Ecclesia habeatur tanquam polluta, an sufficiat notorietas per evidentiam facti, an adhuc requiratur sententia iudicis declarativa de facto: Prima sententia, & satis communis, est, quod ut Ecclesia habeatur ut polluta sufficit quod ipsum crimen, seu effusio sanguinis, vel seminis sit manifesta per evidentiam facti; ita ex Navarro, Rebello, Suar. de Eucharistia, sect. Dubitari solet, basilius Pont. lib. 20. cap. 20. in fine, Fagundez de secundo præcepto, lib. 4. cap. 4. num. 24. Et ratio est, quia per evidentiam facti satisfit manifestum & publicum ipsum factum, ac proinde videtur non plus amplius requiri.

Navar. Rebello. Suar. Basil. Fagundez.

28.

Ac inde inferitur, quod quando crimen est occultum per decem vel viginti dies, Ecclesia non indiget conciliatione, secus verò si cooperit publicari, ac publice de eo constitit: publicum verò dici inquirunt, quod est notum majori parti Parochie, aut vicinæ, vel si in iudicio constitit, & ita potest contingere, quod quando crimen commissum est, tribus, vel quatuor scientibus, ac tacentibus, Ecclesia non reputetur ut polluta, nec divina officia in ea cessent: At verò quando crimen divulgatum fama est, & majori parti innotescit, tunc Ecclesia habetur, ac reputatur ut polluta.

29.

Opposita sententia tenet, quod non solum requiritur notorietas facti, sed etiam quod requiritur sententia declaratoria iudicis. Et hanc sententiam probabiliter dicunt Suarez, & Fagundez citati; & etiam probabiliter dicit Palaus citatus n. 4. in fine; eamque tenent Diana, Paludanus, apud citatum Dianam. Et Avila subdit ad inrerdictum locale reduci quodammodo Ecclesie violationem.

Diana. Palaud.

Paludan.

Sayrus.

Avila.

30.

Verum est quod prima sententia est in praxi, quia ut evidenter constat de effusione sanguinis in Ecclesia, statim Ecclesia habetur ut violata; tamen secunda sententia in iure mihi videtur verior, & probabilior, & securè potest bene sequi in conscientia, quia ille, qui effudit sanguinem, potest dicere illud fecisse in sui defensionem naturalem, vel illud fecisse cum ebrietate, & amentia, vel fuisse in quodam motu primo, & his de causis hodie notorius percussor clerici communis sententia tenet, quod non statim sit vitandus, & ita in aliquibus casibus ego vidi iudicare, & resolvi.



QUESTIO V.

Quomodo Ecclesia violata reconcilianda sit?

SUMMARIUM.

- 31 Si Ecclesia est benedicta a sacerdote simplici, vel Pralato Regulari, potest reconciliari, & idem die de Cœmeterio.
32 Si consecrata solum ab Episcopo potest reconciliari.
33 Si Episcopus est absens per duas dietas à Pralato Regulari cum aqua benedicta ab Episcopo potest reconciliari.
34 Quid sit una die a.
35 Rejicitur opinio Novarini.
36 Prædicto privilegio uti possunt Pralati Regulares, etiam præsentis Episcopi.
37 Si Episcopus nec vult reconciliari, nec benedicere aquam, potest Prælatus Regularis, & n. 38.
39 Si violatio fiat, dum sacerdos celebrat.

Julius I. Leo X. Henric. Tambur. Præposit. Barbos. Diana. Sotus. Suar. Avila. Portel.

32.

33.

communicantes in eorum privilegiis, prædictam Ecclesiam pollutam, cum aqua gregoria... Card. Lugo, Franc. Lugo, Barbosa, Lezana, Confer. UgoLinus, Sayrus, Barbosa, Henric. Avila, quos citant, ac sequuntur, Marchi. nus de Sacram. Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 11. num. 14. Megala in promp. tom. 2. verb. Ecclesia Avila. num. 27. in fine Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 12. Miranda tom. 2. quest. 3. 9. art. ultimo conclus. 1. Bordonius tom. 1. Resol. 17. n. 7. Dicastil. de Eucharist. tract. 5. disp. 4. dub. 6. numero 109. Pellizar tom. 2. tract. 8. cap. 5. s. et n. 9.

Una dicta continet septem Lucas, & dicta quatuordecim, ut tenet Henriquez cum Rodriguez tom. 1. quest. 15. art. 2. Joan à Cruce epitome lib. 2. c. 5. dub. 6. compendium Triorum verb. Ecclesia n. 2. Portellus citatus, Compend. Portel.

Referam etiam hic opinionem quandam Antonii Novarini in summa Bullarii, titulo de pollutione Ecclesiarum num. 7. ubi ait superiores Regulares ex privilegio posse reconciliari Ecclesias consecratas, & citat Grassium, consil. 2. de consecrat. Ecclesia num. 18. Tamen hæc sententia videtur facere multam vim dispositioni juris cap. Aqua, & cap. Proposui de consecrat.

Maximè notandum est, quòd prædicto privilegio ad reconciliandas Ecclesias suas consecratas uti possunt Regulares, non solum quando Episcopus distat per duas dietas, sed etiam quando defunctus est imò quocumque modo abijt Episcopus, morte, renuntiatione, ac depositione. Ita Rodriguez tom. 2. quest. 19. art. 1. & post illum Persicus de officio sacerdotis dubio 13. num. 116.

Imò maxime nota casum. Cum in toto Regno Portugaliæ tantum esset unus Episcopus, & existens in hac civitate Olyssipponensi, in eademmet civitate Olyssipponensi contigit, quòd quedam Ecclesia Regularium consecrata violaretur ex quodam homicidio, humiliter postulatum est ab Episcopo, ut dignaretur Ecclesiam reconciliari, quòd ipse firmiter negavit; deinde postulatam est ab eo, ut aquam ex vino, & cinere benediceret, quòd ipse eadem constantia negavit, & nullo modo nec voluit ad Ecclesiam accedere, nec aquam benedicere, tunc à viris doctissimis me præsentem resolutum est, quòd Prælatus Regularis poterat illam aquam ex vino & cinere benedicere, & illam Ecclesiam consecratam reconciliari, quia ad illum effectum præsentem idem erat episcopus nolens, ac absens, & sic factum est, & Ecclesia reconciliata est à Pralato Regulari. D. Thom. 4. part. 4. quest. 83. ad 2. docet Episcopum posse concedere facultatem, ut in Ecclesia violata celebraret ante reconciliationem nam, cap. Missorum, & cap. Hic ergo de consecrat. dist. 1. Simpliciter decernitur fieri posse sacrum, ubi iusserit, vel permiserit Episcopus qui subinde sicut potest concedere licentiam faciendi sacrum in loco non sacro, sic & in templo violato, quamvis ad hoc graviozem causam requirat Avila, unde Cardinalis Lugo supra citatus optime in grandi necessitate hoc concedit, v. g. si in die festo populus non haberet templum ubi audiat sacrum. Ita etiam Diana part. 12. tract. 8. Resol. 23.

Pro casu occurrenti, si dum sacerdos celebrat homici

38. D. Thom.

Lugo.

Diana.

39.

homicidium, v. g. contingit, & hoc accidit post ceptum Canonem, tunc tenent Missam profequi, ut sacrificium perficiat; si autem ante Canonem violatio fiat, vel Ecclesiam ingrediatur excommunicatus nominatim declaratus per sententiam judicis, aut publicus Clerici percussor, tunc celebrans debet à Missa desistere.

Ex quo obiter nota, quod Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem non sit irregularis, ut expressè determinatur in cap. Is qui de sententia excommunicacionis, nec incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesie, nec sit irregularis, etiam si celebrat in eodem loco. Ita ex Paludano, Suarez tom. 3. ad 3. part. disp. 81. sect. 4. §. penultimo, & ex Sa. Layman, Avila, Fagundez, Diana part. 6. tract. 6. Resol. 28.

43. Paludan. Henric. Suar. Sa. Layman. Avila. Fagundez. Diana.

QUESTIO VI.

An si Sacerdos celebret in Ecclesia polluta ipsa maneat reconciliata?

SUMMARIUM.

- 40 Partem affirmantem tenent multi Auctores.
41 Sententia negativa est vera, & certa.
42 Ponuntur illius fundamenta.
43 Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem non sit irregularis, nec suspensus ab ingressu Ecclesie.

40. Sa. Henric. Persicus. Naldus. Zerola. Avila. Dicastil. Tambur. Diana.

41.

Lugo. Francisc. Sayrus. Layman. Amicus.

42.

Franc. Lugo.

Questio procedit de Sacerdote celebrante bona fide. Partem affirmantem tenent Emman. Sa, Henric. P. Persicus, Naldus, Zerola, Avila, Dicastil. Thom. Tambur. quos citat, & constantet sequitur Diana part. 6. tract. 6. Resol. 28. & p. 11. tract. 2. Resol. 59. & Emmanuel Sa verb. Ecclesia, n. 19. ait quod hæc opinio procedit etiam si Sacerdos celebret mala fide, & Persicus de Officio Sacerdotis, lib. 1. dub. 6. n. 6. 1. ait quod hæc opinio sit valde probabilis & certa in conscientia in praxi, propter Doctorum auctoritatem, & quia præsentia corporis Christi dum in Ecclesia Missa celebratur reputanda est pro sufficienti reconciliatione.

Opposita sententia mihi vera & certa videtur, quod per talem Missæ celebrationem Ecclesia non sit reconciliata, eam fortiter tenet Cardinalis Lugo part. 3. tom. 2. de Eucharistia, disp. 20. sect. 4. n. 9. 1. & ejus Fr. Franciscus de Sacram. lib. 5. c. 5. q. 12. n. 99. Sayrus de censuris, lib. 5. c. 16. n. 11. Layman lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 13. Amicus in cursu Theologico, disput. 33. sect. 12. n. 345.

Probatum primò, quia ut notat Franciscus Lugo citatus, opposita sententia nullum pro se habet fundamentum intrinsecum ex ratione, sed tantum extrinsecum ex auctoritate Doctorum. Secundo, sic arguo, in re gravissima, ut est reconciliatio Ecclesie forma, & dispositio data ab Ecclesia, non est mutanda; atqui Ecclesia assignat formam, & modum reconciliandi Ecclesiam sive benedictam; sive consecratam ut patet ex Rituali Romano; ergo talis forma sine auctoritate Ecclesie non est mutanda. Tertio, si celebratio Missæ à Sacerdote bona fide, est instar reconciliationis Ecclesie, idem ergo erit de Missa celebrata à Sacerdote mala fide; nam bona vel mala fides Sacerdotis celebrantis, non reconciliat Ecclesiam, sed ipsa præsentia corporis Christi in Missa dum celebratur, & tantum adest, quando Sacerdos celebrat, bona fide, ac mala; ergo si Auctores contrarii præter Emmanuel. Sa negant talem reconciliationem in Missa celebrata à Sacerdote mala fide, debent etiam negare, in Missa celebrata bona fide.

Sylveira Opuscula.

QUESTIO VII.

De aliquibus privilegiis, quibus gaudent Ecclesie Regularium.

SUMMARIUM.

- 44 Ecclesie, & Monasteria Regularium exemptorum sunt libera à jurisdictione, à potestate consensu Ordinarij.
45 Bulla Sixti IV. maxime de hac re.
46 Expenditur prædicta Bulla Sixti.
47 Ordinarij non possunt præsumere, ut in Ecclesia Regulari confessionarij sint in tali loco, nec ne Eucharisticum Sacramentum exponatur, & n. 48.
49 Ordinarij non possunt visitare Ecclesias Regularium, sed Parochiales solum, que pertinent ad Officium Parochi, n. 50.
51 In occurrentia in Ecclesijs Collegiatis, & Cathedralibus dicenda sunt dua Missæ, hoc non procedit in Ecclesijs Regularium & n. 52.
53 In Ecclesijs Regularium ipsi inuitis non possunt Episcopi alius jurisdictionis exercere. Affirmant aliqui, negat communis sententia, & n. 54. & 55.
56 An in Eccl. Regulari Parochiali possint visitare tabernaculum Sacre Eucharistie?

Ecclesie Regularium, ac eorum Monasteria, & cetera, quæ ad eos spectant, sunt omnino libera, & exempta à jurisdictione, ac potestate DD. Episcoporum, itaut in eis non valeant aliquid ordinare, ac præcipere ut concessum à multis Summis Pontificibus per suas authenticas Bullas, referam unam tantum Joannis 22. concessam Patribus Carmelitanis, & referretur in eorum mari magno Sixti IV. Bulla 37 apud Bullar. Rodriguez & in Compendio Carmelitar. Discalceator, fol. 22. Bulla incipit, Dum attenda meditatione; numero 5. ita ait.

Ea propter, dilecti in Domino filij devotionis vestra precibus favorabiliter amones, vos, & prædictum ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel habitabitis in futurum, cum omnibus ruribus, & pertinentibus suis, ac personis dependentibus in eisdem, in jus, & proprietatem Beatri Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illaque à cujuscunque Diocesanis, & cujuscunque alterius potestate, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus, & de gratia specialiter decernimus, ex nunc vos, & ordinem vestrum per se.

44. Rodrig. Compend. Carmel. Bulla.

45.

Et sonas